



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Constans Defensio, Ex S. Scriptvra, Et Vera Catholica  
Doctrina, Atqve Observatione Vniuersalis Christianæ  
Ecclesiæ Deliberationis de Christiana Reformatione**

**Bucer, Martin**

**Genevae, 1613**

Solutio eorum quæ Aduersarij pro suffragiis defunctorum adferunt, ex  
sanctis Patribus 93

**urn:nbn:de:hbz:466:1-34315**

*Solutio eorum quæ Aduersarij contra commemoratam veritatem  
de Oratione & Oblationibus pro defunctis  
Christianis, ex Sanctis Patribus  
introduxerunt.*

## CAP. XCIII.



O c loco citant Aduersarij Dionysium, Nazianzenum, Nisenum, Athanasium, Epiphanium, Chryso-  
stomum, Augustinum, Bernhardum, quos om-  
nes testari dicunt, quod antiquitus memoria &  
supplicatio pro defunctis Christianis apud S.  
Cœnam fuerit obseruata, nonnullos etiam, quod  
defunctis multum commodi, refrigerij & consola-  
tionis adferat.

Quantum ad primùm attinet, videlicet priscos S. Patres apud S. Cœ-  
nam & aliàs defunctorum memoriam celebrasse, sacrificia pro eis obtu-  
lisse, denique preces fudisse, nemo est qui inficietur. Quibus verò de  
causis, & in quem finem id ab eis factum sit, nempe quod potius volue-  
rint contestari, defunctos cum Domino iam in æterna lætitia gaudiò-  
que viuere, ac Deo pro tanta gratia ac misericordia se gratos exhibere,  
quàm eiusmodi gaudium illis iamprimum impetrare, de hoc iam ante  
fatis dictum est. Vtèrius nihil habetur in istis testimoniis S. Patrum, vt  
euidenter paulò superius est demonstratum.

Nec D. Epiphanius aliud quicquam asserit, quàm consuetudinem  
nomina Sanctorum apud S. Cœnam recitandi. Eiusque nullam aliam  
rationem reddit, vel vtilitatem ostendit, quàm vt hoc pacto cõfiteamur ac  
cõtestemur, omnes qui in Christo ex hac vita discesserunt, nõ in nihilum  
reductos esse, sed viuere cum ipso. Cùmque pro peccatis defunctorum  
supplicamus, vitæque huius infirmitatem ac fragilitatem fatemur,  
meditamurque profundius: item cùm memorias sanctorum celebra-  
mus, honorem tribuamus Christo Domino, quòd sit super ipsos omnes,  
communisq; eorum Saluator & propiciator. Verum quod per eiusmodi  
supplicationes & oblationes aliquid refrigerij, auxiliij & relaxationis  
defunctis impetretur, de eo Sanctus iste pater nihil penitus habet, què-  
admodum nec vlli alij ex antiquioribus Patribus. Habet quidem inter  
cætera etiam hæc verba: *Utilis est Oratio quæ pro defunctis fit, etiamsi non  
omnem culpam refecit, neque etiam id per quod nos sæpe dum in hoc mundo  
sumus, fallimur & erramus, tum inuiti tum voluntariè, quòd id quod perfe-  
ctius est significetur.* Hæc oratio mendosa est & mutila: quapropter ani-  
mus authoris ex ea elici non potest, nisi correctius comparetur exem-  
plar, in quo integra sententia ponatur. Quoniam verò ante hæc dicta  
verba, clarè expressèque commemorauit principalem causam orationis  
memoriæ & nominationis defunctorum apud S. Cœnam, nempe hæc,

vt præsentibus hoc pacto fidem suam confiteantur, quod mortui qui ex hac vita emigrarunt, uiuant, & uiuant cum Domino, constat eum de salute & beatitudine eorum qui in fide Iesu Christi ex hac vita excesserunt, nihil omnino dubitasse. Quando igitur dicit, Orationem quæ pro defunctis fit, non omnem culpam rescare: ex quo probabiliter conici potest, eum sensisse quod aliquam partem rescindat, necessarium tamè est, hunc esse istorum uerborum intellectum, quem S. Dionysius tradidit, nempe Orationem istam nihil aliud esse, quàm confessionem & concessionem, quod iam Dominus eiusmodi reatum ac culpam sanguine suo rescuerit. Præcipuum enim ac principale in hac oratione esse statuit, ut fides ac spes quoad mortuos per eam confirmetur, nempe quod tantummodo à nobis discedant, uiuantque cum Christo Domino.

Porro quod dicit Orationem istam non omnem culpam rescare, fieri potest, ut in eo sensu dixerit, quod infidelitatis peccatum non rescetur. *Quicumque enim sine fide in Christum ex hac vita migrant, ij iam iudicati sunt*, ut inquit Dominus, Ioan. 3. Quod uerò de indicatione plenioris ac perfectioris meminit, id haud dubiè de peccatis, sed de confessione peccatorum, deque redemptione à peccatis, facta per Christum Dominum nostrum intellexit. Quamobrem continuò subiunxit, quasi antegressæ rationis causam. *Pro iustis & peccatoribus mentionem facimus. Pro peccatoribus quidem misericordiam Dei implorantes: pro iustis uerò & Patribus, Patriarchis, Propheis, Apostolis, Euangelistis, Martyribus, Confessoribus, Episcopisque & Anachoretis, & pro uniuerso ordine, ut Dominum Iesum Christum, ab hominum ordine separemus, &c.* iam oratio ista non potest esse superioris Sermonis conueniens & apta causa, nisi eius hic sit sensus, quod quotiescunque pro defunctis oramus, in honorem & gloriam Domini fragilitatem humanam confiteamur, eumque prædicemus, qui nos peccatis redemit.

Verum quomocumque mutilam istam & obscuram orationem intelligamus, hoc tamen expressè, propriè atque explicatè ab hoc S. Patre positum est, Summum ac præcipuum in prolatione nominum defunctorum, item in oratione quæ pro ipsis dicitur esse, quod credant præsentibus, quod hi qui præcesserunt, uiuant, & non sint, nulli, sed sint & uiuant apud Dominum. Vbi sine dubio benè beatèque uiuant, nec opus est, ut iamprimum precibus nostris beatam vitam illis impetremus. Ex reliquis uerbis, quoniam propter defectum emendati exemplaris intelligi propriè non possunt, neq; etiam certi aliquid inferri potest.

Ceterum Chrysostomus, Damascenus & alij Patres, qui post istos scripserunt, D. item Augustinus, & qui post eum inter Latinos scripta nobis reliquerunt, de solatio auxilioque loquuntur, quod precibus ac sacrificiis nostris, quæ pro ipsis offerimus, eis impetremus. Verum in quo consistit eiusmodi solatium & auxilium? Ad hanc questionem respondet D. Augustinus, ut remissio plena fiat, vel saltem tolerabilior condemnatio. Sic etiam D. Chrysostomus,  
Homil.

Homil. 69. ad populum Antiochenum probare conatur, quod infidelibus, & catechumenis, aliisque qui malè ex hac vita emigrarunt, non nihil relaxationis & solatij per eleemosynas & preces quæ pro illis offeruntur ac funduntur, impetrari possit. Et ad hoc confirmandum, adducit Dominum Hierosolymis pepercisse, propter se & propter seruum suum David. Item quod Iob pro filiis suis obtulerit, eisque hoc pacto gratiam impetrarit. Et sicut nos pro omnibus viventibus oramus, in quorum numero sunt etiam latrones, fures, sacrilegi, alique homines omnis generis flagitiis ac sceleribus opplati, quibus tamen precibus nostris nos impetraturos speramus, ut se aliquando conuertant, vitæque suam emendent: sic etiam se rem habere de mortuis.

Quamuis idem iste Pater in sermone super verba Pauli, *Nolumus vos ignorare fratres de ijs qui obdormiunt, de ijs qui in fide Christi hinc migrarunt*, hunc in modum scribit. *Quemadmodum eos qui ad insigne aliquod officium recepti sunt multi homines plaudendo prosequuntur: sic etiam debent Christiani sanctos, qui hinc discedunt, bonis verbis prosequi, ut qui ad magnam dignitatem vocati sunt.* Hæc ille.

Iam non est dubium, cõmemoratam Augustini & Chrysostomi opinionem quòd damnatis tolerabilior condemnatio impetretur, ne ipsis quidem Aduersariis placere. Necessè igitur est, vt Patres istos incertas in hoc negotio cogitationes habuisse lateantur.

Ad hoc respexerunt, quod Ecclesiæ Christi ab initio pro defunctis orare consueuissent, idque non fecissent inaniter: verum cum causas inuestigarent, semper longiùs à scopo diuinæ Scripturæ aberrarunt.

Antiquiores Patres, vt supra dictum est, nullam aliam huius rei causam agnouerunt, aut respexerunt, quàm communis humanæ perditionis confessionem, ac vicissim communis redemptionis factæ per Christum, vnà cum communionem, quam omnes electi Dei habet in Christo Domino, contestationem. Posteriores verò Patres omnes, quotquot post D. Augustinum fuerunt, de hac quoque causa sibi ipsis persuaserunt, quod defunctis plena remissio peccatorum aut saltem tolerabilior cõdemnatio impetretur: nullum tamen adhuc Purgatorium agnouerunt, etiam si de eo disputari concesserint, quemadmodum D. Augustinus fecit. Qui verò post istos extiterunt, vt Gregorius, Bernhardus & alij, ij Purgatoriũ quoque statuerunt, idque ex iis scripturæ locis quæ D. Augustinus pro Purgatorio nihil cõcludere demonstrauit. Cuiusmodi est iste locus Pauli de igne, qui vnus cuiusque opus ædificantis super fundamentum Christum Dominum probabit. Item dictũ illud Christi de Carcere, *ex quo non exibit reus, donec persoluerit extremum quadrantem.*

Vtrũque dictum nihil ad Purgatorium pertinere probat D. Augustinus. Paulus enim in hoc loco loquitur de igne, qui vnus cuiusque opus probat, non minus illius qui aurum argentum, aut preciosos lapides super fundamentum Christum superstruxit, quàm eius qui lignum, stuppas aut foenum. Ad hæc vocabulum (donec) non eam habet vim, vt id cui adiungitur, aliquando euenire oporteat, sed satis est, vt nunquam fiat. Quo pacto Euangelica locutio

In Enchiridij cap. 67. 68. 10.

De fide & operibus ca. 15. 16. 10. 4.

De Ciuitate Dei li. 21. cap. 26.

1. Cor. 3.

intelligenda est, Ioseph non cognouit Mariam, donec peperit filium suum vnigenitum: ex qua non sequitur: quod Ioseph Mariam post natiuitatem Christi cognouerit. Sic neque ex eo quod Dominus de carcere dixit: è quo non sit exiturus debitor, donec persoluerit vltimum quadrantem, sequitur, Carcerem quendam esse, ex quo pateat exitus, postquam totum debitum fuerit persolutum: sed rectè se habet ista locutio Christi, etiamsi ex carcere nemo vnquam esset exiturus: siquidem verissimum est, neminem vel minimum debitum proprio supplicio tormento ve persolueri posse.

Quantumuis verò plana aperta que sit D. Augustini dictorum locorum explicatio, nihilominus tamen Gregorius, qui alioqui D. Augustini scripta non parui fecit, ex iisdem locis Purgatorium defendere aggressus est, sicut D. Bernhardus ex dicto Domini de blasphemia in spiritum Sanctum, quæ neque in præsentem neque in futuro seculo remittitur. Quod dictum nihil aliud importat, quàm blasphemiam in Spiritum S. nunquam in æternū dimitti, sicut hæc verba Domini apud Marcum descripta habentur. Quare ex hoc dicto colligi non potest, alia quædam esse peccata, quæ non in hoc, sed in altero seculo remittantur. Quod si vel maximè verum esset Dominum videlicet quædam peccata in altero mundo dimittere, quæ in hoc seculo remissa non fuissent, ex eo tamen non sequitur, esse Purgatorium in quo eiusmodi peccata prius expurgari pro eis que satisfieri oporteat.

Satis apparet ex breui tantum & exili huius negotij indicatione D. Bernhardum magis iuxta communem ac vulgo receptam opinionem quàm ex propria sententia iudicioque locutum esse. Alioquin enim de Purgatorio & liberatione hominum nihil peculiare docet, nec vllas habet orationes funebres. Et in sermone 26. in Cantica, vbi Gerhardum fratrem suum luget, meminitque publicæ sanctæ orationis ac precis quam vnà cum reliquis fratribus pro eo fudisset, gratias agit Domino, ac laudat eum, quod fratrem suum iam in æternā beatitudinem suscepisset, nullius verò intermediæ Purgationis meminit in purgatorio. At verò existimandum est, sanctum hunc virum fratrem suum non ad eò sanctum iudicasse, vt eum ab omnibus peccatis immunem & liberum fuisse putasset. Verum morte Christi semetipsum consolatus est, in cuius fide, sicut ipse meminit, frater eius confidentissimè ex hoc mundo migrauerat. Vnde nihil penitus dubitauit, fratrem suum iam esse in grege beatorum Angelorum, in plena beatitudine gaudióque æterno. Similem sermonem habuit in obitum Episcopi Malachiæ, qui nec ipse tam sanctus fuit in oculis Bernhardi, vt non adhuc ei peccatum adscriberet.

Verum quomodocunque tandem negotiū Purgatorij apud D. Bernhardum, alios S. Patres constitutum fuerit, manifestè constat, opinionem de Purgatorio, falsaque cōficta ex eo liberatione sicut in per multis aliis dogmatibus ritibusque Ecclesiasticis vsu venit hisce postremis tēporibus, nō tantū à S. scriptura, verū etiā ab obseruatione primarum synceriorumque Ecclesiarum, quàm lōgissimè recessisse. Nec mirū est, quan-

quandoquidem ipsi Ecclesiarum antilitates temporibus istis corrupti & depravati erant: id quod & Gregorius & Bernhardus (qui duo præclarissima Ecclesie lumina post Augustinum fuerunt) tam frequenter ac serio queruntur.

Quid? Bonus Damascenus iuxta vulgatam opinionem firmissimum *Insermā* fundamentum suum ponit in apparitionibus spirituum nec non respō- *ne de his* sis, quibus per mortuorū caluarias craniāque acceptis fidem dedit: a deo *qui in fi-* vt confirmandum auxilium ac liberationem ex inferno non dubitet in- *de hino* troducere, quod legitur de quadam martyre, nomine Prima, quæ mu- *migravit* lierem quandam Ethnicam idolorum cultricem precibus suis ex infer- *OEcolā-* no liberarit. Item de Gregorio, quomodo Traianum Imperatorem *padio in-* Christianæ fidei crudelissimum hostem ac persecutorem ex inferno *terprete.* soluerit. Nec non de Libra quæ bona & mala hominum opera libren- tur: ita vt si bona opera vel paululum præponderent, homo certissimè saluus fiat, quemadmodum etiamsi lances in æquilibrio consistant: & quamuis mala opera bonis ponderosiora sint, misericordiam tamen & clementiam Dei præcellere. Imò non dubitat scribere, quòd etiamsi mala opera bona longè superent, iis tamen subueniri posse, per ea bona opera quæ amici eorum pro ipsis faciunt, vt quibus defectus mortuorum adimpleatur ac compensetur. Imò meminit cuiusdam visionis, quomodo publicanus quidam nomine Petrus pauperi alicui homini Eleemosynam à se petenti, ira concitatus frustum panis loco lapidis in faciem proiecerit, ac postmodum extra se raptus viderit panem istum in dextram libræ lancem, in qua bona eius opera librabantur, reponi. Sic etiam in genere differit de sacrificiis ac precibus oblati pro defunctis, quod defectum bonorum operum ipsis adimpleant & exequant. Hæc sanè nugacissima figmenta sunt, nihilominus tamen auxilia mortuorum tam immodicè auxerunt. In quam porro abominationem postmodum res prolapsæ sint, & versentur adhuc hodie, nimis, proh dolor, manifestè patet.

Ex his omnibus discat Christianus Lector, Omnes Christianos Christianæ fidei, hoc est necessaria hominibus ad salutem capita fideles Apostolos Christi ex pleno eius mandato in Ecclesiis perfectissimè ac fidelissimè tradidisse: primòque martyres & confessores, ac deinceps S. Patres diligentissimè obseruasse. Iam verò in scriptis Apostolicis ne minimum quidem indicium habemus de auxilio, quod viuentes mortuis ferre queant, aut debeant. Primi etiam sancti martyres ac Patres minimè dubitarunt, omnes qui in fide Christi ex hac vita migrant, etiamsi peccata in se habeant, eorum tamen plenam remissionem consequi per meritum Christi, ad eumque suscipi in æternam requiem, gaudiumque sempiternum, vbi nostro auxilio nihil vltius egent. Omnes item orationes, & sacrificia, quæ veteres Ecclesie pro defunctis facere consueuerunt, tantummodo in vsum atque vtilitatem viuentium facta esse, videlicet ad fidem resurrectionis in eis confirmandam, communionemque in Christo cum omnibus membris eius prouehendam ac propagandam. Quamobrem neque Purgatorium nec

auxilium defunctos ex Purgatorio liberandi, Catholicum dogma esse potest. Non enim semper in Ecclesia neque apud omnes fuit, quæ proprietas necessariò requiritur ad Catholicum dogma constituendum, quemadmodum suprà ex Lirinensi demonstratum est.

*Quare Liber Reformationis in S. Cœna non ordinauerit  
commemorationem mortuorum agere.*

C A P. X C I V.

**I**AM quoniam à nobis conceditur, memoriam defunctorum ab antiquissimorum Patrù temporibus, vnà cum Oratione & Oblatione pro illis apud S. Cœnam obseruatam, atque haud dubiè ab illis creditum fuisse, quòd ista consuetudo fuerit Ecclesiis tradita per Apostolos, iniquissimum esse iudicabunt Aduersarij, quòd liber Reformationis istam mortuorum commemorationem non eo saltem modo, quo fuit à vetustissimis Patribus obseruata, ordinauerit.

Ad hoc respondetur, Quicquid non à Domino vel ab Apostolis eius traditum est, vt quòd ad salutem omnium Christianorum, atque omni tempore conducatur, id vel obseruandi vel intermittendi non modò potestatem verùm etiam mandatum habent Christiane Ecclesiæ: & obseruandi quidem, quatenus ad ædificationem & incrementum fidei eorum apud quos seruari debet, vtile fore cognoscitur. Hanc doctrinam tradidit nobis ipse Dominus de Sabbatho, aliisque ritibus Iudæorum, Matth. 12. & 15. & plerisque locis etiam apud reliquos Euangelistas. Paulus Rom. 14. & 1. Cor. 8. 9. & 14. Quin & Aduersarij quoque verbis eam fatentur: In articulo enim de Communionem sub vtraque specie eam quamuis ineptè & absurdè pro se adduxerunt.

Iam verò defunctorum commemoratio, etiam quam vetustissimi Patres obseruarunt, neque à Domino neque ab Apostolis ( quantum ex propriis eorum scriptis cognosci potest ) tradita est. Quapropter vnaquæque Ecclesia illam vel vsurpare vel intermittere debet: & obseruare quidem, quatenus vnaquæque Ecclesia apud suum populum id ad ædificationem & incrementum pietatis vtile fore agnoscit. Quia in re quilibet Episcopus proprium suum iudicium habet, quid in hoc negotio sibi faciendum sit: nec debet quisquam Episcopus aliorum Episcoporum Episcopum se constituere, sed vnunquemque iudicio Domini relinquere, vt testatur D. Cyprianus in præfatione habita in quodam Concilio Carthaginensi.

Itaque posteaquam deprehendimus orationem pro defunctis præsertim in missa, vel apud S. Cœnam ad confirmandum grauem & perniciosum errorem in animicis simplicium vergere, vt putent animas defunctorum opera Sacerdotis per se ex Purgatorio liberari. Et tamen  
alioquin